

VIII

AD LYDIAM

Aristophanio-Sapphicus

Lȳdia, dīc, per omnēs
Tē deōs ōrō, Sybarin cūr properēs amandō
Perdere ? Cūr aprīcum
Ōderit campum patiēns pulveris atque sōlis ?

Cūr neque mīlitārēs
Inter aequālēs equitat, Gallica nec lupātīs
Temperet ōra frēnīs ?
Cūr timet flāvum Tiberim tangere ? Cūr olīvum

Sanguine vīperīnō
Cautius vītāt ? Neque iam līvida gestat armīs
Bracchia, saepe discō,
Saepe trāns fīnem iaculō nōbilis expedītō ?

Quid latet, ut marīnae
Fīlium dīcunt Thetidis sub lacrimōsa Trōīae
Fūnera, nē virīlis
Cultus in caedem et Lyciās prōriperet catervās ?